



IMMANUEL!

LECTORI BENEVOLO

ὕψις καὶ εὐπράγξιον.



Critici in se suscipere partes, circa Criticam Viri Summi, & qui per universam fere literatorum rempublicam dictatoria auctoritate pollet, arduum sane & impeditum periculique plenum conatum jure suo merito dixeris. Absit igitur, ut ego huic negotio prorsus impar, supra sphaeram sapere mihi videar, in commendatione operis, in quo omnia Lyceum sapiunt atque summam Autoris ἀκρίβειαν produnt. Insuper, de eo quod pulchrum est in hac Critica Sacra, edisserendi, ferias mihi dudum fecerunt Scriptores omnium ordinum famigeratissimi, iique non Theologi, Philologi & Philosophi tantum, sed etiam Juris Consulti & Polyhistores. Sicut fama eruditionis Orientalis universae genti Carpoviae semper fuit haereditaria, ita sigillatim hic noster Magnificus Carpovius summum in ea laude fastigium ascendisse visus est. Sepem profecto circumduxit revelationibus divinis, qua abarcentur irruptiones & diruitions, sicut omnium adversariorum, ita maxime Pseudo-Criticorum, qui manibus pedibusque omnia faciunt, ut Scripturam Sacram de throno deturbent, & ejus authenticam, infallibilem auctoritatem, certitudinem immunitatemque ab omni errore infringant. Noli igitur mirari L. B. consummatissimum hoc opus Criticum, unanimi omnium eruditorum applausu exceptum, multisque elogiis ornatum esse in ephemeridibus Republicae literariae publicis. Quo primum enim Critica haec Sacra Lipsiae ante hos viginti annos lucem aspexerat, non tantum Nova Literaria quae idiomate vernaculo Lipsiae eduntur, post longam elogiorum praefationem ideam operis dederunt; nec solum Acta Eruditorum

]]

Latina,